

Prohemia

(a) *Primum prohemium codicis B*

(b) *Secundum prohemium codicis B, quod etiam legitur in F CI KM*

5 (c) *Prohemium codicis V*

(d) *Prohemium codicis T*

(a)

B12ra *Primum prohemium codicis B |*

Materia huius libri sunt uoces, et non qualescumque, sed
elementa, syllabae, dictiones, orationes perfectae. Agit enim in
Orthographia de elementis et syllabis in *Magno Prisciano* et
dictionibus, in *Minori* uero de perfecta oratione, quae omnia
uoces sunt. Voces autem in hoc opere duobus modis
15 accipiuntur, uidelicet significatiuae et non significatiuae. In
Orthographia enim accipiuntur non significatiuae, in *Magno*
Prisciano et in *Minori* accipiuntur uoces significatiuae.

Rursus dicitur materia huius libri esse littera. Sed cum littera
sit materia huius operis, diuerso modo agitur de littera. Agitur
20 enim de littera in hoc opere ut de littera et de littera accepta in
constitutione sillabarum et dictionum et perfectarum orationum.
Itaque diuerso modo agitur de littera in hoc opere, et ideo talis
dicitur materia quia liber iste uocatur ‘grammatica ars’, id est
litteralis scientia. ‘Gramma’ enim est littera, inde ‘grammatica’
25 id est litteralis scientia. Et propterea quidam adherentes
interpretationi uocabuli dicunt litteram materiam huius operis.
Quibusdam uero uidetur istum librum uocari ‘grammaticam
artem’ propter solum principium, quia in solo principio agit
Priscianus de littera, et dicunt quod ex solo principio attribuitur
30 nomen toti libro, sicut etiam in aliis libris solet fieri. Vocatur
enim liber Genesis non ideo quod per totum librum agatur de
generatione sed in solo principio.

Quapropter iudicio quorundam est melius tenendum quod
uoces sint materia huius operis, de quibus per totum librum
35 agitur, quam littera materia, de qua solum in principio agitur,
sicut supradictum est.

Modus tractandi est talis quod in primis agit de elementis,
diffinitionem suam demonstrando, postea eius nomen,
potestatem, figuram attribuendo, et secundum ista tria, uidelicet
40 nomen, potestatem, figuram, de elementis tractat. Post elementa
hoc modo de sillaba agit, scilicet quod diffinitionem eius
demonstrat, et hanc proprietatem sibi attribuit quod aliquando in
constitutione sui habet uocales tantum, aliquando uocales et
consonantes et mutas etc. De dictionibus uero hoc modo agit
45 quod attribuit eis VIII proprietates, secundum has quidem una sit

nomen, alia pronomen etc. Secundum has VIII proprietates dat eis diuersa accidentia et de unoquoque accidenti in suo loco agit. De orationibus perfectis hoc modo agit quod est in eis debere iungi nominatiuum cum nominatiuo, genus masculinum cum genere masculino, singularem numerum cum singulari numero etc. 5

Dicitur etiam modus tractandi aliter, uidelicet quod Priscianus in hoc opere correctorie tractat. Correctorie uero tractare IIII modis dicitur, scilicet recidendo superflua, addendo praetermissa, reprehendo uitiose dicta, laudando bene dicta, et istis omnibus modis Priscianus tractat in hoc opere. Laudat enim bene dicta, recidit superflua, addit praetermissa, reprehendit uitiose dicta, et istis praedictis modis tractare dicitur esse modus tractandi in hoc opere. 10

Intentio uero huius libri est docere nos grammatice loqui. Grammatice loqui dicitur quia aliud est dialectice loqui et aliud grammatice loqui et aliud rethorice loqui. Rethorice enim loqui est quando secundum ornatum uerborum fit locutio, dialectice loqui est cum aliquis cum alio disserit, ut distinguat ueritatem a falsitate uel e conuerso. Grammatica uero loquela nec attendit ornatum uerborum nec distinctionem ueritatis uel falsitatis, sed hoc attendit tantum ut casus nominatiuus cum genitiuo, et genus simile cum simili genere, et numerus similis cum simili numero iungatur etc. Et taliter loqui, scilicet ut loquendo iungamus rectum casum cum recto casu, obliquum cum obliquo et genus simile cum genere simili, quod totum est grammatice loqui, id docet nos Priscianus in hoc opere. 15 20 25

Dicitur aliter a quibusdam et materia et intentio sic. Materia principalis in hoc opere sunt orationes perfectae de quibus in *Constructionibus* agit. Secundaria autem materia sunt elementa, scilicet syllabae, dictiones de quibus agit gratia perfectarum orationum. Quicquid enim dicit in *Magno Prisciano* de elementis, de syllabis, de dictionibus, hoc totum est gratia perfectae orationis, et ideo a quibusdam dicitur quod *Magnus Priscianus* est introductorius ad Priscianum *de Constructionibus*. 30 35

Finalis causa est Iulianus, quia dubitauit de accusatiuo et genitiuo plurali primae declinationis et ablatiui singulari eiusdem declinationis, et in praeterito perfecto tertiae coniugationis. Idcirco rogauit Priscianum amicum suum ut supradictam dubitationem solueret. Priscianus uero petitioni 40

9 recidendo *scripsi*] reciden *B* 15 est *suppleui*] *om. B* 22 casus...genitiuo *B*²] ornatum uerborum *B* 33 *de*² *suppleui*] *om. B*

suae adquiescens incoepit scribere non tantum de eis quae dubitabat, sed de elementis, syllabis et omnibus partibus orationis. Vel proponit exemplum posteris ut sicut correxit uitiose dicta antiquorum, sic corrigant posteri sua.

5 Philosophiae subponitur liber iste, et per logicam hoc tale dicitur esse. Logica enim habet, ut finalis causa, in hoc libro tres partes, scilicet grammaticam, dialecticam, rethoricam. Diuiditur namque logica, id est sermocinalis scientia, sic: logica sermocinalis tantum, id est grammaticalis, alia et
10 sermocinalis et dissertiua, id est dialectica et rethorica. Dialectica enim et rethorica et sermocinantur et disserunt, et ideo sunt sermocinales et dissertiuae.

Sciendum est autem quod antequam agat de materia sua, scilicet de elementis, syllabis etc., praemittit diffinitionem uocis, quia genus est elementorum et syllabarum etc. Rursus antequam ueniat ad diffinitionem uocis praemittit quemdam prologum in quo capiat attentionem, docilitatem, beneuolentiam. Attentionem captat ubi dicit CONATVS SVM ARDVAM, docilitatem ubi dicit de quo tractaturus sit,
15 beneuolentiam ubi dixit Iulianum esse iudicem huius operis.

(praef. 2, 2.2)
(praef. 3,
2.24)

(b)

Secundum prohemium codicis B, quod etiam legitur in F CI

B12ra *KM* |

F1ra Liber iste uocatur 'ars grammatica', ex quo nomine eius
C1ra MATERIA demonstratur. Gramma enim Graece Latine littera
I1ra interpretatur. Inde grammatica, id est litteralis ars, nominatur,
K1ra quia de litteris tractat, sed quattuor diuersis modis. Agit enim de
M1ra litteris secundum hoc quod accipiuntur ut litterae, id est
singillatim acceptae uoces indiuiduae litteratae, et secundum
hoc quod sunt syllabae, id est collectim sub uno spiritu sine
interuallo prolatae, et hoc utroque modo sunt non significatiuae.
Elementa enim et syllabae nihil ex se significant. Agit etiam de
illis secundum hoc quod sunt significatiuae, id est sub hoc
35 respectu quod ad aliquid significandum proferuntur, siue in

1 non tantum *scripsi*] sibi tamen *B* **5** Philosophiae *scripsi*] hilosophie *B*
hoc ... **2** esse] *tr. B supra post* posteri sua, *cum signo insertionis post* logica
enim habet *perperam apposito* **6** ut *suppleui*] *om. B* **9** grammaticalis]
grammaticinalis *B* **25** Liber iste *BF CI K*] *tr. M* | quo nomine *BF CI*] *tr. KM*
26 Latine *CI M*] *om. B tr. post* littera *F K* | littera *BF CI K*] *om. M* **29** litterae
] *tr. K ante* accipiuntur *sine signo correctionis* **30** singillatim *BF C K*] *I M*
31 sunt *CI*] *tr. post* sillabe *B om. F KM* | collectim *F CI KM*] *collecte B*
32 significatiuae *CI M*] significantes *F* significante *K* **33** Elementa ...
significant *B CI M*] *om. (per hom. ?) F K* | Agit ... **30** significatiuae] *in marg.*
sin. F **34** post sunt] quidem *add. K*
sub hoc *scripsi*] solo hoc *CI* hoc solo *BF KM* **35** ad *F CI KM*] *om. B*

coniunctione siue extra coniunctionem illud fiat, non attendit. Hocque respectu litterae nuncupantur ‘dictiones’, quia aliquid dicunt, id est designant. Et sic acceptae diuiduntur in octo partes orationis. Agiturque in *Libro Constructionum* de litteris secundum hoc quod in coniunctione positae perfectum generant sensum, et tunc orationes uocantur. Et ideo quia licet diuersis modis ubique tamen de littera agit, ex nomine generalis materiae operi suo titulum imposuit dicens *Incipit ars grammatica*, id est litteralis.

MODVS est correctorie agere. Corrigit enim uitia priorum grammaticorum, praetermissa supplendo, superflua recidendo, maledicta emendando, et praeterea tamen benedicta confirmat. Et his quattuor modis correctorie tractat. Caper enim et Diomedes et Donatus et alii complures praecepta grammaticae dederant uitiosa.

INTENTIO autem uel FINALIS CAUSA est lectores instruere, ut sint periti grammaticae loqui, scilicet ut sciant reddere casum casui, numerum numero, genus generi. Et ut omne uitium uitetur in locutione, scire | oportet singulas litteras pronunciare et syllabas conuenienter coniungere. Vnde non solum tractatus dictionis et orationis, sed etiam litterae et syllabae, est necessarius ad faciendos peritos grammaticae loqui. Grammaticae dico ad differentiam dialecticae, quae docet loqui secundum ueritatem et falsitatem, et rethoricae, quae docet loqui secundum ornatum uerborum et sententiarum. Quibus artibus prior est grammatica, quia prius scire oportet facere conuenientem coniunctionem dictionum quam ueritas uel falsitas uel ornatus eloquentiae addiscatur.

CAUSAE quidem OPERIS sunt plures, quaedam communes, quaedam alia specialis et priuata. Totius operis quaedam generalis causa est correctio uitiorum grammaticae artis, ad communem omnium utilitatem. Alia causa est quod ueteres

2 Hocque *CI M*] hoc quoque *BF K* | nuncupantur *BF CI M*] uocantur *K*
 3 dicunt *F CI KM*] dictant *B* 5 post et] cum generant perfectum sensum *add.*
M 7 de... agit *B CI KM*] a. d. l. *F* 9 agere *BF CI M*] tractare *K*
 10 praetermissa supplendo *B CI KM*] *tr. F* | superflua recidendo *B CI KM*] *tr.*
F 11 maledicta emendando *B CI KM*] *tr. F* | praeterea *F CI K*] propterea *B*
 preterita *M* | tamen *F CI KM*] tantum *B* 13 post grammaticae] artis *add. F*
 14 dederant uitiosa *tr. K* / uitiosa] uitiose *K^{a.c.}* 18 singulas litteras *BF CI K*]
tr. M 19 syllabas syllabas *B CI M*] singulas sillabas *F* singulas *K*
 conuenienter *B CI KM*] competenter *F* | coniungere *BF CI K*] adiungere \uel
 con/ *M* 20 etiam *F CI M*] et *B K* 21 grammaticae loqui *B CI KM*] *tr. F*
 23 post et²] ad differentiam *add. F K* 28 post quidem] huius *add. F* | operis
BF CI M] *om. K* | communes *B CI K*] communis *FM* / post communes] et *add.*
K 29 specialis et *BF CI M*] *om. K* | post Totius] huius *add. F* 30 causa est
B CI KM] *tr. F* 31 post Alia] communis *add. F* | quod *BF CI K*] quia *M*

- Latini Graecorum uetustissimos imitati praecepta grammaticae artis dimiserant incorrecta. Alia quia placuit ei dare exemplum posteris, quatinus sicut ipse male dicta aliorum corrigit, ita si quid in opere suo corrigendum fuerit a posteris corrigatur.
- 5 Priuata et specialis causa fuit Iulianus, qui de accusatio et ablatiuo singulari et genitiuo plurali tertiae declinationis, hi quippe casus non semper eiusdem terminationis inueniuntur, quomodo scilicet | ab aliis casibus descendant dubitans, et de praeterito perfecto uerborum quod uariis utitur terminationibus, ab amico suo Prisciano, quem in utraque doctrina, Latinorum scilicet et Graecorum, peritissimum nouerat, regulas exigebat quibus dubitatio sua excluderetur. Cuius petitioni iste satisfacere uolens, non solum quae postulabat sed etiam supradictis de causis inductus de littera, syllaba, dictione, oratione se tractaturum proposuit. Has quidem | causas in prologo quem praemittit ostendit.
- M1rb
- 10
- IIva
- Nec dubitandum est quin LOGICAE SVPPONATVR, cuius est ipsa grammatica tertia pars. Logicae enim alia pars est sermocinalis, alia disertiuua. Disertiuua habet partes inuentionem et iudicium, quae solis dialecticis et rethoricis conueniunt, | disertiuua est quae docet disserere, id est argumentari. Sermocinalis uero grammaticorum est, ac per eam ad logicam uelut ad suum genus grammatica reducitur. Sciendum est quod non omnis scientia, nisi quae certis regulis uel praeceptis coartatur proprie uocatur ars, necnon praeceptio ipsa talis scientiae uocatur ars.
- C1rb
- 25

(c)

Prohemium codicis V

2 dimiserant *BF CKM*] dimiserunt *I 3* post sicut] et *add. M 4* fuerit *F CI KM*] fuit *B | post* corrigatur] quae causa non satis est idonea *add. B* et haec causa non multum ualet *add. CI 5* et specialis *BF CIM*] *om. K | et² B CI KM*] uel *F 6* hi...9 excluderetur *BF CIM*] et de praeterito perfecto uerborum dubitans ab amico suo Prisciano regulas exigebat quibus dubitatio sua excluderetur, quem Priscianus in utraque doctrina, Latinorum scilicet et Graecorum, perfectissimum et peritissimum cognouerat *K 7* terminationis *B CIM*] determinationis *F 11* scilicet *BF M om. CI | peritissimum B CIM*] perrarissimum *F | exigebat B CIM*] exhibebat *F 12* post Cuius] iuliani *add. K | iste BF CIM*] *om. K 13* quae *BF KM*] quod *CI 14* de¹ *B CI KM*] *om. F* littera... dictione *BF CIM*] littera et sillaba et dictione et *K 15* Has *F CI KM*] *om. B | in BF CI K*] *om. M 17* est¹ *BF CI*] *om. KM 18* enim *CI*] *om. BF KM 19* Disertiuua *FCIKM*] *om. B |* habet partes *F CI*] *tr. B K* pars habet *M 21* disertiuua... argumentari *CI*] *om. BF KM | est¹] sup. lin. C 22* uero *B CI KM*] *om. F | grammaticorum est B CI KM*] *tr. F 23* grammatica] *s.l. F | est F CI K*] *om. B M 25* coartatur *B CI KM*] constringitur *F*

<p> Priscianus habet hic materiam uoces, non quascumque sed litteratas, tam articulatas quam inarticulatas, id est tam simplices, ut elementarios sonos, quam compositas, siue constant ex elementis ut syllabae, siue primo loco ex syllabis ut dictiones, siue ex dictionibus ut orationes. Quid sit uox, quid littera, quid elementa sequens docebit tractatus. De hac materia hoc modo tractat, scilicet specialem tractatum de singulis faciendo, eorum naturas tum diffinitionibus, tum diuisionibus, tum per accidentium proprietates, tum aliis modis aperiendo, quae omnia in singulorum tractatibus plenius docebimus.</p> <p>De uocibus sic determinatis grammatice intendit agere, id est intendit instruere lectores ut sciant grammatice loqui, singula elementa congrue proferre, et in syllabis apte disponere, et syllabas in dictionibus, et dictiones in orationibus, id est consimiles casus et genera et numeros iungere, et cetera in constructione orationum obseruare. Grammatice loqui dictum est ad differentiam rhetoricae, quae docet apposite loqui ad persuadendum, siue ad differentiam dialecticae quae docet quid uerum sit quid falsum per uoces inquirere. Quibus locutionibus prior grammaticae locutio est. Prius enim est scire casum casui, numerum numero, uerbum nomini congrue reddere quam uel ornatum uerborum uel uerum uel falsum in ipsis uocibus attendere.</p> <p>Praedictae materiae non uidetur competere titulus qui est 'incipit ars grammatica'. 'Gramma' enim Graece littera dicitur Latine, inde 'ars grammatica' id est 'litteralis scientia' uel 'praecepta de litteris data'. Ad quod respondent consuetudinis esse auctorum interdum a principio tractatus operam inscribere, ut est illud 'incipit genesis', non quod per totum librum de generatione agatur, sed in solo principio. Vel aliter, 'litteralis scientia', quod sonat 'ars grammatica', quamcumque scientiam de litteratis uocibus existentem comprehendit, non eam solum quae de litteris, id est elementis, consistit, unde superflua uidetur esse oppositio. Huius tamen rei causa mutant quidam materiam, dicentes Prisciani materiam esse litteras quatuor modis uariatas, duobus modis non significatiuas, ut sunt elementarii soni, litterati et syllabici indistanter sub uno spiritu prolati, duobus modis significatiuas, uno modo secundum quod ipsae litterae aliquid dicunt, id est designant, siue coniunctae sint siue non coniunctae, et sic acceptae dicuntur dictiones, alio modo secundum quod coniunctae perfectum generant sensum, et uocantur orationes. Et ideo licet diuersis modis, ubique tamen de litteris agit. A generali materia dicunt opus intitulatum sic, 'incipit ars grammatica'. Sed si quis diligenter hanc materiam attendat, non inueniet a praemissa multum distare. Nullus enim</p>	<p>V1ra</p> <p>5</p> <p>10</p> <p>15</p> <p>20</p> <p>25</p> <p>30</p> <p>35</p> <p>40</p> <p>45</p>
--	--

dicit litteras ut litteras acceptas, id est ut indiuiduos sonos
litteratos, per totam seriem materiam esse auctoris, immo
tantum circa principium, quod et alii concedunt. Non est igitur
curandum hanc an illam ponamus materiam, nisi quod de litteris
5 ubique ut uocibus acceptis non ut litteris agatur.

Modum etiam tractandi dicunt correctorie agere, quod satis
congruum est. Corrigit enim uitia ueterum grammaticorum,
Donati scilicet et Capri et aliorum plurium supplendo quod
praetermiserunt, recidendo quod superflue, emendando quod
10 male dixerunt, confirmat etiam quod in libris eorum bene
dictum repperit.

Intentio praemissa est, id est intendit instruere lectores ut
sciant grammaticae loqui. Dicunt alii Priscianum hic habere
materiam perfectam orationem, de qua in constructionibus agit,
15 cuius uidens partes esse dictiones, dictionum uero syllabas,
syllabarum elementa de partibus ante totum agere disposuit,
quibus cognitis ad notitiam totius peruenitur, et sic totus iste
tractatus praeparatio quaedam est ad librum constructionum.
Modus tractandi in partibus in principio ex praedictis habes in
20 toto, id est constructionibus, inuenies. Intentio autem patet ex
praedictis, quamcumque horum trium ponas materiam opus hoc
cum opere constructionis unum opus esse scias.

Alii tamen diuersa opera iudicantes hoc et illud, hic suam et
ibi suam ponunt materiam. Dicunt enim hic primam haberi
25 materiam dictiones, id est octo partes orationis singillatim
acceptas, ibi easdem sed ad perfectum sensum generandum |
V1rb coniunctas. Ad ipsas uero dictiones ut commodius accedat, de
syllabis et elementis secundo praemittit. Sed quod hic
tractatus a constructionum tractatu diuersum opus iudicetur
30 prohibent tituli librorum prologo huius operis subscripti, dum x
et VIII libros enumerat, duos quorum in constructionibus tractat,
illud opus hinc continuari manifestum est, sed de hoc alias.

Vtilitas uero huius operis est habere notitiam elementorum
per se et in syllabis positorum, syllabarum per se et in
35 dictionibus consideratarum, dictionum per se et in oratione
constructarum.

Philosophiae supponitur liber iste per logicam. Logica enim
alia sermocinalis scientia tantum, ut grammatica, alia
sermocinalis et dissertiua, ut dialectica et rhetorica, haec enim
40 sic de uocibus agunt ut disserant, id est aduersarios contra se
stantes inquirant, quod non facit grammatica, quae
coniunctiones et flexiones deriuationes uocum ex se requirit.

3 tantum] tamen V 17 cognitis] facilius *add. s.l. V* 35 post dictionibus]
positarum uel *in marg. V* 39 enim] *s.l. V*

Plures causae sunt huius operis quae in prologo notantur. Est quaedam causa communis totius operis, correctio uitiorum grammaticae artis ad communem omnium utilitatem. Veteres enim Latini uetustissimos Graecorum imitati praecepta grammaticae artis dimiserant et dederant incorrecta. Alia communis, quia placuit ei dare exemplum posteris corrigendi si quid in opere suo et in aliorum operibus uideretur uitiosum, sicut ipse uitia aliorum corrigit. Haec autem non multum uidetur congrua huic operi. Finalis et specialis causa fuit amor Iuliani, qui dubitans de accusatiuo et ablatiui singulari et genitiui plurali tertiae declinationis, quomodo scilicet qui uariis utuntur terminationibus descendant ab aliis casibus, hii enim casus non sunt semper eiusdem terminationis, et de praeterito perfecto uerborum qui uariis utitur terminationibus, de his inquam dubitans ab amico suo Prisciano, quem in utraque doctrina, Latina scilicet et Graeca, peritum nouerat, regulas exagebat quibus certus fieret. Cui petitioni satisfacere uolens, non solum quod petebat sed etiam praedictis de causis conductus de omni litterata uoce tractare disposuit.

(d)

Prohemium codicis T (Troyes, BM, 1377)

In principio huius operis sicut in principio plurimorum primo legendus occurrit titulus, et hoc debiti ratione officii, quia sicut sol diem irradiat, ita et titulus cuiuslibet operis illustrat sequentia, quia titulo incognito totus liber manet incognitus. Titulus talis est : Incipit liber Prisciani.

Consequenter restat uidere quae sit materia, quae intentio, quae utilitas siue finis, quae causa suscepti operis, cui parti philosophiae supponatur, quis modus agendi.

Materia huius operis est Graecae linguae in Latinam transformatio et totius artis grammaticae generalis comprehensio, erroris deductorii exstirpatio, et certitudinis scaturientis multiflua superseminatio, quae totius fulgoris artis grammaticae speculationem expandit.

15 quem] qui *V^a.c.*

Patet quod intentio liquet ex materia, quia operis assumpto sufficientem intendit spargere notitiam.

Utilitas siue finis est id commisisse intelligentiae quod auctor intendit per doctrinam tradere.

5 Causa suscepti operis est duplex, communis et priuata. Communis dico utilitas omnibus studentibus in grammatica. Priuata dico ipsorum petitio quorum pro rogatu hoc opus incepit.

10 Cui parti philosophiae supponatur restat, quia grammaticae.

Modus agendi talis est. Primo agit de prologo siue proemio, postea de principali proposito.

Hiis uisis ad litteram accedamus.